



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An, & quâ ratione infames, criminosi, perjuri, accusati de crimine, vel excommunicati repellantur à testimonio dicendo in judicio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

An, & quâ ratione infames, criminosi, perjuri, accusati de crimine, vel excommunicati repellantur à testimonio dicendo in judicio?

Infames infamiâ juris inhabiles sunt, ad testimonium in judicio ferendum, tam in Criminalibus, quàm Civilibus, ut patet ex *c. Testimonium 54. h. 8.* cum enim infamibus sine interdicti actus legitimi, testimonium autem fette in judicio interdictus legitimus reputetur, consequenter prohibiti hi illis erunt, ita ut nec contra alium eâdem infamiâ laborantem, ut testis admittatur, nisi in causa criminum exceptorum, aut in subsidium veritatis, quæ aliter haberi non potest (ita tamen, ut sine tormentis credendum illis non sit) vel fame suæ sit restitutus, aut occultâ tantum infamiâ labore, aut infamiâ facti tantum, qui à Iudice ex officio vel parte opponente à ferendo testimonio repelli potest.

Neque admitti debent ad testimonium in judicio ferendum criminosi de gravi crimine ipsis objecto convicti, ut habetur in *c. Super eo. 13. & in c. Testimonium. 54. h. 1.* Et quamvis si pœnitentiam egerit de crimine, & sit emendatus, in causa Civili pro teste admittatur criminosis, si nullâ juris infamiâ labore, si tamen in crimine perseveret, nec in Civilibus ut testis admitti debet, cum non sit credendum contra alios illis, qui criminibus implicantur; in Criminalibus verò criminaliter intentatis, nec emendatus in testem admittitur, nisi post publicam, quæ saltem per triennium constanter jam duravit, pœnitentiam &

emendationem, vel si ad probationem tantum innocentiam Rei testimonium ferat; vel si pars litigans ad videndum testes productos nihil contra eorum crimina opponat, neque Iudex ex officio repellat, aut necessitas eos admittere prebeat, quamvis in nullo horum casuum sint omni exceptione majores.

Perjuri, qui falsum juramento confirmaverunt, ad ferendum testimonium non admittuntur, nec in causa Civili, nec in causa criminali, quantumvis sint emendati, & de perjurio pœnitentiam egerint (quia qui semel perjeravit, pœnitentiam contra se habet, ad perjurium iterum committendum,) ita ut etiam in criminibus exceptis perjuri in testes non admittantur, excepto crimine hæresis, in quo, in favorem Fidei etiam perjuram contra se, quàm contra complures testes admittantur, modò ex manifestis indicibus appareat, quòd non ex levitate animi, aut odio, sed ex zelo justitiæ, & amore Fidei deponant.

Accusatus de crimine, gravi scilicet pendente accusatione, non debet admitti ad testificandum in alia causa criminali, præterquam in criminibus exceptis *c. Non debet 56. h. 1.* Censetur enim, dum accusatio pendet, gravata illius existimatio, cum tamen testes in causa criminali debeant esse omni exceptione majores; ita ut nec pendente appellatione, si de crimine condemnatus appellavit, in causa criminali ad testificandum admittatur; quamvis accusatus admitti possit, ut testis, pendente accusatione, in causis Civilibus, vel civiliter actis, non tamen, ut omni exceptione majori faciens semiplenam probationem, Ex

Excommunicati denique (majore excommunicatione) ad testificandum in judicio admitti non debent, quia inter infames numerantur, prout colligitur etiam ex o. *Veniens. 38. h. t. junctâ Glos. à final.* & cavetur etiam hoc expressè in c. *Decernimus 8. De sent. ex communi in 6.* Ita tamen, ut excommunicatus non toleratus sive vitandus à Iudice repelli debeat, etiam parte nihil opponente, si autem vitandus non sit, possit quidem Iudex à testificando eum repellere, si excommunicatio publicè nota sit, non tamen teneatur, nisi pars adversa de excommunicatione contra talem testem excipiat, quamvis enim hic vitari non debeat, sicut ille, & cum hoc communicare possit, non autem cum illo, pars tamen, cui favor hic factus est, ut cum excommunicato non vitando communitate possit, non tenetur hoc favore sibi concessio uti, & consequenter à testificando eum repellere potest. In crimine tamen hæresis ob favorem Fidei, ad probandum hoc etiam excommunicati admittuntur.

§. III.

Quinam prohibeantur ferre testimonium pro certis personis?

Primò, non admittitur testis in judicio patens pro filio, aut filius pro parente, propter naturalem amorem & affectionem; & hinc extenditur hæc assertio etiam ad matrem, ad omnes ascendentes in linea paterna & materna, ad filios naturales tantum, spurios & incestuosos, ad filios adoptivos, si in patris adoptantis potestate sit adoptivus, imò nec vitricus pro privigno, nec privignus pro

vitrico testari potest, &c. Plures tamen etiam casus referuntur, in quibus filii pro parentibus, aut parentes in causis filiorum testes esse possunt, quos vide apud Auctorem hoc loco relatos, quamvis non in omni casu sint semper omni exceptione majores. Ob hanc tamen etiam naturalis affectionis rationem, nec maritus pro uxore, nec uxor pro marito testificari potest regulariter, nec sponsus pro sponsa, aut concubinarium pro concubina, nec consanguinei aut affines, in causis criminalibus vel Civilibus arduis, pro consanguineo, aut affine in tertio saltem gradu, ut testes admittuntur, nisi modici tantum præjudicii causa Civilis esset, aut in causa Criminali ad necessariam Rei defensionem, & ostendam innocentiam adhiberetur illius testimonium, aut partes expressè contentæ essent, cum vel sit exigua erga alterutram partem testis talis affectio, vel utriusque æquè affectus sit, &c.

§. IV.

An & in quibus casibus testes domestici produci possint, vel familiares, vel amici, & an etiam subditi possint testimonium dare pro suis Dominis?

Triplex dicitur dici possunt aliqui domestici. Primò strictè, sicuti se habent Maritus & Uxor, & nati ex illis liberi, & qui sunt sub patria adhuc potestate; de quibus, quòd pro se invicem testes esse non possint, priore §. dictum. Secundò domestici dicuntur in latiore sensu, omnes etiam famuli & famulæ pretio & mercede conducti, qui in eadem domo sub potestate unius patrisfamilias habitant